

PONTIFICIUM CONSLIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

COMMUNICATIONES

VOL. XXXIII - N. 1

2001

COMMUNICATIONES

PONTIFICIUM CONSILIUM
DE LEGUM TEXTIBUS

Piazza Pio XII, 10 - 00193 Roma

N. 1

IUNIO 2001

Semestrale

Sped. Abb. Postale - 50% Roma

EX ACTIS IOANNIS PAULI PP. II

Nova lex fundamentalis Civitatis Vaticanae	3
Allocutio ad Auditores, Administratos Advocatosque Rotae Romanae coram admissos.	9
Allocutio ad eos qui in Cursu de foro interno Paenitentiariae Apostolicae partem habuerunt.	16

ACTA CONSILII

QUAESTIONES QUAEDAM STUDIO PONTIFICII CONSILII SUBMISSAE	21
RELATIONES CUM IURIS CANONICIS STUDIOSIS	23

EX ACTIS SANCTAE SEDIS

CONGREGATIO PRO GENTIUM EVANGELIZATIONE

Istruzioni sull'invio e la permanenza all'estero dei sacerdoti del clero diocesano dei territori di missione	24
------------------------------------------------------------------------------------------------------------------------	----

CONGREGATIO DE CULTU DIVINO ET DISCIPLINA SACRAMENTORUM

Responsum ad dubium propositum de SS.mo Sangiune Christi.	30
-------------------------------------------------------------------	----

EX ACTIS PONTIFICIAE COMMISSIONIS CODICI IURIS CANONICI RECOGNOSCENDO

Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio IV)	32
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio V)	62
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio VI)	82
Coetus studiorum « De Matrimonio » (Sessio VII)	109
NOTITIAE	133
OPERA A CONSILII BIBLIOTHECA RECEPTA	134

COETUS STUDIORUM
« DE MATRIMONIO »

Sessio VII^a

(dd. 14-19 novembris 1969 habiti)

Diebus 14-19 aprilis 1969, in Aula sedis Commissionis Codici Iuris Canonici recognoscendo, convenerunt Consultores designati ut membra Coetus studiorum ad recognoscendas normas CIC de Matrimonio.

Interfuerunt Exc.mi Schneider, Lourdusamy et Banks; Ill.mi ac Rev.mi Damizia, Quinn, Garcia Barberena, Cremin, Chen-Tao-Che, Flatten; Rev.mi PP. Huizing et Leclerc; et Cl.mus Giacchi.

Praesentes etiam erant Rev.mus P. Bidagor, Secretarius Generalis et Rev.mus Voto, a studiis ipsius Commissionis.

Nonae adunationi praefuit Em.mus Card. Pericles Felici, Praeses Commissionis; ceteris autem adunationibus praefuit Rev.mus Secretarius.

Rev.mus Huizing functus est munere Relatoris et Rev.mus Voto mune-
re actuarii.

In praesenti Sessione Consultores sequentes quaestiones examinave-
runt:

1. De valore distinctionis inter ius et exercitium iuris, i.e., quatenus in se ipsa consistat, et quoad applicationem can. 1086, par. 2.
2. Quid nomine « *consortii vitae* » intelligi debeat in can. 1081, § 2 et quos effectus pariat quoad praescriptum can. 1086, § 2.
3. Quid deduci possit aut debeat ex Encyclica *Humanae vitae* in ordi-
ne ad meliorem canonis 1086, § 2 intelligentiam et magis exactam ei-
udem canonis redactionem;
4. Num post Encyclicam *Humanae vitae* limitatio iuris in actus coniu-
gales consensum matrimoniale excludere possit;
5. Num exclusio iuris ad cohabitationem (i.e., communio vitae et mu-
tua donatio) consensum matrimoniale destruat;
6. De matrimonio per procuratorem;
7. De matrimonio per interpretem.

Adunatio I^a
die 14 aprilis 1969 – mane

Rev.mus Secretarius omnibus praesentibus salutem dicit et deinde quaerit num Consultores relationem laborum VI^a sessionis probent quod attinet sive ad integratatem sive ad veritatem eorum quae in VI^a Sessione prolati fuerunt.

Consultores omnes relationem probant.

Deinde examinantur quaestiones Consultoribus propositae:

Quaestio I^a: *De valore distinctionis inter ius et exercitium iuris, i.e., quantum in se ipsa consistat, et quoad applicationem can. 1086, par. 2.*

Rev.mus Relator, ut magis analyticè huic quaestioni respondi possit, rogit Consultores ut haec dubia solvantur:

1. *Utrum detur distinctio inter ius determinatum et ius utendi tali iure determinato necne*

Omnès Consultores negative respondent. Haec enim distinctio continet absurdum; ut si quis diceret: «do tibi hoc ius, sed non do tibi ius utendi hoc iure».

2. *Num detur distinctio realis inter ius et exercitium iuris*

Longe maior pars Consultorum positive respondent et sequentes rationes afferunt:

a. *Ex traditione.* Historia enim docemur distinctionem inter ius et exercitium iuris sat antiquam esse. Iam Huguccio, magister papae Innocentii III, in glossa ad Causam 32 q. 2 c. 6 talem modum considerandi rem instituere coepit. A Thoma Sanchez et deinde a fere omnibus haec distinctio sustinetur. Recenter quidem impugnatur. S. Romana Rota eam defendit. In allocutione diei 29 octobris 1951, a Pio XII habita, tamquam res per se patens praesupponitur.

Distinctio ergo retinenda esse videtur, eo vel magis quod quaelibet mutatione, per locutiones ingenio populari magis accommodatas, sensum canonis redderet ambiguum atque obscurum. Expressa mentio distinctionis tamen in canonem introducenda non videtur. Sufficit ut iurisprudentia illam attendat (Exc.mus primus Consultor et Rev.mus secundus Consultor)

b. Nisi haec distinctio retineatur, doctrina et praxis paternitatis conscientiae (responsabilis) et continentiae periodicae nullatenus sustineri possunt.

Nam in paternitate conscientia seu responsabili et in continentia periodica requiritur quaedam limitatio quoad actus coniugales; haec limitatio nequit versari circa ius ipsum ad actus coniugales, quia quaelibet limitatio huius iuris consensum matrimoniale excluderet: ergo limitatio dicitur circa usum vel exercitium iuris, intacto manente ipso iure utpote eum aliquid radicale sit (Exc.mus tertius Consultor).

c. Secus excluderetur possilitas matrimonii virginalis (Exc.mus tertius Consultor et Rev.mus quartus Consultor).

d. Vi consensus non creantur facta sed iura et officia. Iure autem tradito et accepto matrimonium est validum, etiamsi iam in momento contractus matrimonialis desit voluntas implendi susceptam obligationem. Animus non se obligandi (quo attingitur ius ipsum) matrimonium irritat; animus non implendi (quo attingitur usus iuris), matrimonium non irritat (Consultores quintus, sextus, septimus, et octavus).

e. Non patet adesse contradictionem internam in actu quo quis obligationem reddendi debitum coniugale assumere vult et intentionem habet hanc obligationem non implendi. Eae duae voluntates simul extare nequirent si earum obiectum unum idemque esset. Sane voluntas non implendi est aliquid omnino aliud ac voluntas non assumendi obligationem. Per unam voluntatem enim quia relationem iuridicam inter coniuges creare vult, per aliam voluntatem sibi proponit hanc relationem non servare. Quare, etiamsi in casu matrimonii obiectum iuris concessi sit praestatio personalissima, notionaliter distinctio dari potest inter obligationem assumptam et intentionem hanc obligationem non implendi (Exc.mus tertius Consultor et Rev.mi Consultores sextus et nonus).

Exc.mus decimus Consultor et Rev.mus undecimus Consultor negant distinctionem veram fieri posse inter ius et usum iuris ubi praecise ius in ipso usu verificetur. Ipsi contendunt traditionem et acceptationem iuris in proprium corpus in ordine ad actus per se aptos ad prolix generationem non posse componi cum voluntate eosdem actus in perpetuum excludendi, quia, in hypothesi, traditio et acceptatio esset vacuum verbum. Verum est quod contrahentes possunt tradere ius et postea eiusdem exercitium seu usum denegare vel praepedire. At non videtur quomodo ipsi, in matrimonio ineundo seu in consensu praestando, tradere atque acceptare possint ius in corpus si insimul propositum seu firmam voluntatem gerant nullum admittendi eiusdem usum.

Ceterum, quidquid sit de possilitate theoretica huius distinctionis,

certum est quod, in ordine reali ac de communiter contingentibus, contrahens, in actu consensus, minime illam distinctionem faciunt ac proinde lex non debet illam attendere ne effugium praebeatur advocatis.

Illa distinctio, canonii 1086, §2 applicata, pastorali bono nocet.

Exc.mus decimus Consultor addit distinctionem inter ius et exercitium iuris in corpus, temporibus praeteritis matrimonio applicatam fuisse qui auctores in tutum ponere volebant possibilitatem matrimonii virginalis B.M.V. et quia per talem distinctionem argumenta sumebant ad defendendam validitatem matrimoniorum, quae impugnabantur ob denegatum usum corporis.

Nunc autem audaces esse oportet ad conficiendam normam quae excludat possibilitatem talis distinctionis, quia immoralis est ius dare cum animo non implendi.

Rev.mus duodecimus Consultor admittit quod distinctio inter ius et exercitium legitime locum obtinet etiam in materia matrimoniali. At-tamen bene perpendere oportet naturam exercitii huius iuris, quae est complexa eo quod non perficitur tantum copula carnali, sed perplures habet modalitates quae etiam tractu temporis aliquando perficiuntur.

Etenim persona quae oscula amoris dat, tactus et amplexus sexuales perficit, organa sexualia tangit, certe exercet proprius ius in corpus alterius, quae omnia ipsi non licebant ante celebrationem matrimonii. In omnibus istis actionibus sive singillatim peractis sive successive vel cumulative habetur verum et proprium exercitium iuris in corpus alterius. Et qui hoc perficit certe dicere non potest se ipsum ius in corpus, ante celebrationem matrimonii, exclusisse vel non contulisse, quia revera ipse, istis actionibus sexualibus, exercet verum et proprium ius, quod ei conlatum fuerat in celebratione matrimonii.

Item ex eo quod quis onanistice utitur matrimonio etiam in perpetuum, non potest praesumi ipsum ius in corpus exclusisse. Ipse tantum voluit excludere prolem, non ius, quod ipse de facto, etsi non plene, exercet. Et hoc exercitium, in iure, includit possessionem iuris, secus ipse nullum omnino exercitium habere posset.

De distinctione inter ius et usum iuris, quatenus applicetur ad bona matrimonii, Rev. mus Relator haec censem:

a. *quoad bonum proli*: distinctio «ius — obligatio» et «usum — implementum» eadem est ac distinctio «bonum in suis principiis» et «bonum in seipso consideratum». Iura et obligationes respiciunt relationem inter ipsos coniuges existentem, vel constituendam; usus et implementum

respiciunt modum quo de facto coniuges agunt vel agent. Nupturientes convenire possunt sive de relatione ipsa sive de modo agendi. Criterium distinctionis est, utrum convenienter independenter ab adiunctis concretis, an dependenter. Si independenter ab adiunctis, absolute, excludunt prolem, aut determinatum numerum filiorum tantummodo volunt, et ideo omnino vel partim excludunt inter se ius ad paternitatem et maternitatem, ipsam relationem inter se corrumpunt; tunc enim, vi ipsius consensus, paternitatem et maternitatem recusare possent. Si dependenter ab adiunctis, puta ob morbum, infirmitatem, angustam habitationem, penuriam, convenient de prole evitanda aut limitanda, tantum agunt de modo agendi; non corrumpunt relationem ipsam, quia, cessantibus adiunctis, iam vi consensus adest ius mutuum ad paternitatem et maternitatem.

Idem dicendum de alterutrius partis intentione.

b. *quoad bonum fidei et sacramenti*: nupturientes nequeunt convenire de exclusione vel limitatione exercitii-implementi quin corrumpant ipsam relationem coniugalem. Item voluntas adulterandi aut comparatem derelinquendi videtur excludere voluntatem creandi vinculum unum et perpetuum, etsi sit alterutrius partis tantum.

Rev.mus sextus Consultor dicit argumentationem Rev.mi Relatoris esse contra unanimam sententiam Consultorum qui dixerunt non dari distinctionem inter ius determinatum et ius utendi tali iure determinato. Si enim sponsi convenient sive de relatione ipsa, sive de modo agendi, iam dant ius et simul negant ius iure utendi, quod est absurdum.

Octavus Consultor concordat cum sexto Consultore (contra Relatorem) et addit illas pactiones, de quibus locutus est Rev.mus Relator, respicere semper et tantum exercitium iuris.

3. *Num practice et psychologice possibile sit assumere ius-obligationem et insimul excludere exercitium-implementum*

Huic quaestioni varie respondent Consultores:

Exc.mus primus Consultor censet dari non posse responsonem univocam pro omnibus casibus.

Exc.mus tertius Consultor dicit quaestionem non pertinere huic Coetui, qui examinare debet possibilitatem logicam non autem psychologicam talis distinctionis.

Rev.mus quartus Consultor affirmative respondet.

Exc.mus decimus Consultor et Rev.mus undecimus Consultor negative respondent.

Rev.mi quintus et secundus Consultores admittunt psychologice possi-

bile esse ut quis habeat animum sese obligandi et animum non implendi (non tamen sine peccato).

Rev.mus sextus Consultor tenet quod non semper in realitate psychologica de facto distinguuntur quae per se et logice distingui possunt. Immo non raro voluntas non implendi tam vehementer, tam absolute elicitur ut fere cum animo non se obligandi coincidat. Attamen non est Legislatoris sed iudicis de hac re decernere.

Rev.mi duodecimus, septimus et nonus Consultores affirmative respondent. Attamen, dicunt ipsi, tunc tantum exclusio exercitii-implementi habetur cum omnes omnino excludantur actus, quibus vita sexualis explicatur.

Octavo Consultor, ex experientia advocati quam habet, dicit casus illorum qui dant ius et excludunt exercitium iuris, vel casus matrimonii virginalis non esse tam raros uti quis suspicari posset.

Rev.mus Relator positive respondit quoad bonum prolis, non vero quoad bonum fidei vel sacramenti.

Adunatio II^a
die 14 aprilis 1969 – mane

Rev.mus Relator proponit ut Consultores suam mentem dicant num clariore modo ex formula can. 1086, § 2 apparere debeat quod tantum exclusio iuris (non autem exercitii iuris) matrimonium nullum facit.

Octavus Consultor affirmative respondit et praebet suam formulam canonis 1086:

§ 1 – Prout est.

§ 2 – At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum idest omnes eius effectus invalide contrahit.

§ 3 – Invalidum quoque est matrimonium in quo alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludet:

1º obligationem ad coniugale debitum cum talis exclusio sit absoluta et in perpetuum;

2º obligationem ad fidelitatem coniugalem cum nupturiens deneget exclusivitatem iuris in corpus traditi alteri parti;

3º indissolubilitatem vinculi cum nupturiens excludat perpetuitatem consortii omnis vitae.

Rev.mus Relator rogit Consultores ut dicant utrum haec formula clarior sit, an scilicet ex ipsa melius appareat tantum exclusionem iuris, non autem exercitii iuris matrimonium nullum reddere.

Fere omnes Consultores negative respondent.

Rev.mus undecimus Consultor censet distinctionem inter ius et exercitium iuris parum intelligi posse ab hominibus qui non sint periti. Omnes, e contra, intelligerent formulam quae diceret: «*qui, dum consensum praestat, propositum gerit nullum generandi filium invalide contrahit*».

Suggestio Rev.mi undecimi Consultoris nemini placet.

Rev.mus duodecimus Consultor recolit suam sententiam de complexitate naturae exercitii iuris in corpus quod perplures habet modalitates. Qui excludit ius ad copulam, non autem ius ad alias actus sexuales, non iam excludit omne ius et ideo valide contrahit. Ut quis ex hoc capite invalide contrahat, necesse est ut excludat «*omne ius ad coniugalem vitam*».

Ideo Rev.mus duodecimus Consultor proponit ut in can. 1086, § 2 dicatur «*ad coniugalem vitam*» loco «*ad coniugalem actum*».

Rev.mi sextus et quintus Consultores opponunt Rev.mo duodecimo Consultori quod ille qui tantum partem iuris in corpus dat, invalide contrahit praecise quia non dat ius in sua totalitate.

Rev.mus nonus Consultor animadvertisit quod per suggestionem Rev.mi duodecimi Consultoris iam introducitur discussio circa secundam quaestionem Coetui propositam: «*Quid nempe nomine consortii vitae intelligi debeat et quos effectus pariat quoad praescriptum can. 1086, § 2*». Bene est ergo talem quaestionem directe considerare.

Suggestio Rev.mi noni Consultoris omnibus placet.

Adunatio III^a
die 15 aprilis 1969 – mane

Quaestio II^a: *Quid nomine «consortii vitae» intelligi debeat in can. 1081, § 2 et quos effectus pariat quoad praescriptum can. 1086, § 2.*

Exc.mus primus Consultor censet quod per «*consortium vitae*» in can. 1081, § 2 affirmatur consensum personale proprium matrimonii esse consensum in intimam communitatem vitae et amoris coniugalis. Inde constat obligationi morali non satisfacere eum qui alteri parti ius quidem in corpus tradere velit, renuendo tamen obligationem integri seu totalis amoris. Attamen aliud est quid matrimonium poscat ut integrum sit, aliud est quid requiratur et sufficiat ut matrimonii contractus fiat. Ad hoc requiritur et sufficit ut tradatur et acceptetur ius in corpus, quod quidem, dummodo tradatur ut verum et genuinem ius, i.e., uti aliquid alteri tamquam personae humanae debitum atque modo personali humano reddendum, implicant necessario ditionem personalem quae subsistere non potest sine amore.

Qui vult amorem coniugalem esse obiectum consensus, vix potest tale elementum amoris certis limitibus iuridice circumscribere.

Insuper quid de matrimonio si amor deficit?

Nullus ergo effectus deduci debet e nova redactione can. 1081, par. 2 quoad praescriptum can. 1086, par. 2.

Exc.mus tertius Consultor et Ill.mi secundus, quartus, et octavus Consultores dicunt nomen «*consortium vitae*» multa elementa comprehendere quae non sunt aequae necessaria ad essentiam matrimonii, quaeque iuridica non sunt. Nullus effectus ex nomine consortii vitae inferri debet quoad praescriptum can. 1086, § 2.

Exc.mus decimus Consultor et Rev.mus undecimus Consultor censem notionem consortii vitae amorisque coniugalnis relate ad praescriptum can. 1086, § 2 vix determinari posse. Nova conceptio in iure matrimoniali paucos abhinc annos initium habuit et non videtur satis evoluta ut nos eam in textu canonis tuto introducere possimus, quin casus simulationis augentur.

Rev.mus duodecimus Consultor dicit quod nomen «*consortium vitae*» in canone 1081, § 2 accipi debet in sensu abstracto, scilicet comprehendit omnes significations vitae coniugalis in earum potentia et denotat voluntates duarum personarum concordes esse ad efficiendam novam societatem coniugalem, cuius iura et obligationes non ab ipsis sponsis definiuntur, sed ab ipsa natura. Essentia vero matrimonii stat praecise in tali constitutione societatis coniugalis, per liberum consensum contrahentium, ex qua oriuntur omnia iura, scilicet ius in corpus, ius ad consortium vitae, ius ad cohabitationem et omnia alia iura et officia. Igitur qui hanc essentiam excludit invalide contrahit, quod quidem in CIC exprimitur verbis «*excludat matrimonium ipsum*». Si placet, haec verba mutari possunt, sed non appetet mutationem necessario inducendam esse ex nomine «*consortium vitae*» in can. 1081, § 2.

Rev.mus quintus Consultor animadvertisit quod vis locutionis «*consortium vitae*» e solo canone 1081, § 2 plene intelligi non potest. Hic canon intelligendus est in contextu ceterorum canonum de consensu matrimoniali, e quibus praedicta locutio suam plenam significationem accipit.

Perfecte difficillimum est et fere impossibile obiectum consensus matrimonialis comprehendere in definitione positiva. Omnis definitio in iure periculosa est; in hac autem materia periculosisima.

Sed non est difficile statuere vitia consensus et determinare quando non adsit verus consensus. Hoc faciunt canones de consensu matrimoniali, qui ita definitionem canonis 1081, § 2 et explicant et complent.

Rev.mus septimus Consultor censet elementum amoris, saltem initialis, praeteriri non posse in canone 1086, § 2. Consortium vitae enim concipi nequit sine amore. Admittit difficillimum esse elementum amoris iuridice circumscribere, et saltem conamina facienda sunt ad difficultates superandas.

Rev.mus sextus Consultor asserit elementum personale matrimonii profundius perspiciendum esse et, methodo negativa, aliquae circumstan- tias indicandas esse quibus deficientibus, iam ipsum elementum personale deesse concludendum est.

Iamvero elementum personale non est idem ac amor coniugalis, qui praeterea uti solus affectus a multis falso intelligi potest. Si ita intelligitur certo certius talis amor ad integratatem, non autem ad essentiam matrimonii pertinet et ideo exclusio amoris coniugalis matrimonium non irritat.

Elementum personale, recte intellectum, amorem coniugalem transcedit et est etiam elementum iuridicum, etsi non solum iuridicum. Matrimonium, etiam iuridice perspectum, plus est quam solummodo ius in corpus. Iure in corpus tradito, sed omnibus aliis ad matrimonium pertinentibus consulto exclusis, matrimonium validum adesse nequit.

Quoad elementum personale ad validitatem consensus fortasse saltem requiritur ut sponsi, etsi non amore, sed aliis rationibus adducti, parati sint ad veram vitam coniugalem, affirment obligationem ad consortium inter se faciendum, et ius ad mutuam communionem non excludant. Quae omnia tamen sufficienter comprehenduntur, etsi imperfecte, in verbis «*exclusat matrimonium ipsum*».

Rev.mus nonus Consultor putat cum Rev.mo quinto Consultore quod definitio iuridica matrimonii numquam aequabit realitatem vitae matrimonialis, attamen ius matrimoniale quam maxime huic realitati conformari debet. Experientia docet quod aliqua elementa moralia paullatim fiunt etiam iuridica, ex progressu doctrinali. Post Concilium Vaticanum Secundum hoc applicari potest praesertim amori coniugali, qui haberi debet ut elementum essentiale consortii vitae, dummodo sit verus amor, voluntas scilicet donationis personalis et non inclinatio mere affectiva.

Proinde, in statu hodierno doctrinae, «*consortium vitae*» haec duo implicat quoad matrimonium in fieri:

- ut actus consensus sit saltem inchoatus alicuius donationis mutuae exclusivae et perpetuae;
- ut tradatur et acceptetur ius in corpus, in ordinem ad actus per se aptos ad proles generationem.

Rev.mus Relator censem post Concilium Vaticanum Secundum iam aliquid novi introducendum esse in hoc canone. Praeterea Rev.mus Relator asserit quod pendet a lege ut aliquod elementum sit iuridicum vel non. Non potest asseri a priori quod amor non sit elementum iuridicum. Si amor assumitur in lege et de ipso aliquid statuatur, eo ipso amor fit elementum iuridicum.

Octavus Consultor, contra Relatorem, asserit aliqua elementa, natura sua, aliena esse a iure, quare assumi nequeunt in lege.

Fere omnes Consultores concordant cum octavo Consultore.

Rev.mus Relator, quidquid sit de hac quaestione, notat quod post Consilium Vaticanum II iam aliquid novi introducendum est in hunc canonem quod exprimat, aliquo modo matrimonium esse nullum si elementum personale excludatur. Quaestio exsurgit quomodo «illud novum» exprimendum sit. Si manent verba «*excludat matrimonium ipsum*», sicut proponit Rev.mus sextus Consultor, nihil novi exprimatur. Forsan melius esset dicere «*excludat consortium vitae coniugalis*» loco «*excludat matrimonium ipsum*». Postea doctrinae et iurisprudentiae erit determinare quid nomine «*consortii vitae*» intelligi debeat.

Rev.mus Secretarius quaerit an casus simulationis totalis servari debeat in hoc canone vel non. Si, enim, supprimantur verba «*matrimonium ipsum*» iam tollitur casus simulationis totalis.

Rev.mus nonus Consultor censem propositionem Rev.mi Relatoris acceptari posse sive quia continet aliquam referentiam ad Constitutionem pastoralem *Gaudium et spes*, sive quia iurisprudentia ex nomine *consortium vitae* faciliter iudicabit de casibus in quibus exclusum fuit matrimonium ipsum. Ceterum, quoniam matrimonium est essentialiter communitas vitae et amoris specifici coniugalis, exclusio huius communitatis potest etiam considerari ut casus simulationis totalis.

Rev.mus quintus Consultor animadvertiscasum simulationis totalis, per verbe «*matrimonium ipsum*» expressum, omnino servari oportere. Si aliquid de elemento personali addendum sit in hoc canone, recenseri debet tamquam casus simulationis partialis.

Plures Consultores concordant cum Rev.mo quinto Consultore et conamina faciunt inveniendi aliquam formulam quae elementum personale exprimat.

Sequentes formulae proponuntur:

- «*si quis non habet animus sese invicem ligandi*» (Rev.mus sextus Consultor);
- «*si quis excludat intimam communitatem vitae*» (Rev.mus undecimus Consultor);

- « *si quis excludat consortium vitae* » (Rev.mus nonus Consultor);
- « *si quis excludat ius ad cohabitionem* » (Rev.mus quintus Consultor);
- « *si quis excludat ius ad vitae coniunctionem* » (Rev.mus sextus Consultor);
- « *si quis non vult suscipere officia omnia matrimonialia* » (Rev.mus duodecimus Consultor).

Exc.mi primus et tertius Consultores asserunt elementum personale iam sufficienter exprimi in verbo « *matrimonium ipsum* » quia hoc « *matrimonium* » est illud ipsum de quo in can. 1081, § 2, i.e. consortium vitae (Exc.mus tertius Consultor).

Praeterea, addit Exc.mus primus Consultor, etiam « *ius ad coniugales actus* » implicat communitatem vitae, quae communitas specificatur in suo esse peculiari per ius ad actus coniugales.

Adunatio IV^a
die 16 aprilis 1969 – vespero

Rev.mus nonus Consultor praebet Consultoribus novam formulam can. 1086, § 2.

« *At consensus vitiatur, si alterutrius vel utriusque partis animus contrahendi talis sit ut consortium ipsum vitae coniugalis aut omnimoda animorum communio vel ius ad coniugalem actum vel essentialis aliqua matrimonii proprietas positivo voluntatis actu excludatur* ».

Rev.mus Secretarius gratias agit Rev.mo nono Consultori propter formulam quam proposuit, at Consultores rogat ut de quaestionibus propositionis argumentationes concludant antequam ad redactionem formulae veniant.

Exc.mus decimus Consultor proponit ut can. 1086, § 2 sane supprimatur et tantum maneat § 1 in qua addantur verba « *donec contrarium probetur* ». Hoc modo non praebetur ansa subtilibus advocatorum argumentationibus.

Sed alii Consultores propositionem reiciunt quia simulationes de facto haberi possunt et si simulatio adest, sive totalis sit sive partialis, iam internus animi consensus non est conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis, et ideo advocatis semper via patet accusandi nullitatem

matrimonii; immo latior via lateret si supprimeretur § 2, quia in § 2 tantum numerati casus simulationis partialis indicantur quos iudices attendere debent.

Rev.mus Secretarius meminit sollicitudinem Exc.mi decimi Consultoris contra multiplicationem causarum matrimonialium non esse novam. Fuit aliquis auctor qui inducere volebat praesumptionem iuris et de iure in § 1, saltem post aliquos annos vitae matrimonialis, ita ut, post illum terminum, non posset amplius accusari matrimonium ex capite simulationis consensus.

Rev.mus Secretarius quaerit quid censeant Consultores de hac propositione.

Exc.mus decimus Consultor propositionem probat et Rev.mus duodecimus Consultor quoque illam probat dummodo haec norma applicetur tantum matrimoniis catholicorum.

Etiam Rev.mi quintus et undecimus Consultores suum favorem circa hanc propositionem exprimunt, dummodo illa praesumptio iuris et de iure non sit absoluta, sed tantum post aliquos annos vitae matrimonialis inducatur.

Alii Consultores talem propositionem reiciunt qui «*matrimonium facit partium consensus*» qui a nulla potestate suppleri potest.

Rev.mus Relator putat sollicitudinibus Exc.mi decimi Consultoris aliquo modo succurri posse per amplificationem casuum convalidationis matrimonii, de quibus suo loco egetur.

Deinde Rev.mus Relator alias tres quaestiones proponit Consultoribus.

a. *Num mentio facienda sit exclusionis educationis prolis tamquam causa irritationis matrimonii.*

Fere omnes Consultores negative respondent una cum Rev.mo Secreterio, qui dicit educationem prolis, sicut et ipsam procreationem formaliter esse finem operis, i.e., ipsius matrimonii, non finem operantis.

Suffragatur num mentio educationis prolis facienda sit:

Placet n. 1; non placet n. 11; abstinet a sententia ferenda 1.

b. *Utrum exclusio boni sacramenti comprehendatur per exclusionem continuitatis perpetuae consortii necne.*

Maior pars Consultorum negative respondet, quia non factum exclusionis continuitatis consortii, sed exclusio iuris talis continuitatis matrimonium irritat.

c. *Num intentio non servandi obligationem fidelitatis irritet consensum.*

Consultores negative respondent quia in casu non negatur ius ad fidelitatem, sed animus non adimplendi habetur.

Adunatio V^a
die 16 aprilis 1969 – mane

*Quaestio III^a: Quid deduci possit aut debeat ex Encyclica *Humanae vitae* in ordine ad meliorem canonis 1086, § 2 intelligentiam et magis exactam eiusdem canonis redactionem.*

Maior pars Consultorum (scilicet Consultores primus, secundus, tertius, quartus, quintus, septimus, octavus, et duodecimus) asserunt Encyclicam *Humanae vitae* nihil novi continere quod inducat mutationes in can. 1086, §2 faciendas, eo vel magis quia Encyclica non matrimonium in fieri, sed matrimonium in facto esse describit.

Exc.mus decimus Consultor et Rev.mus undecimus Consultor non excludunt aliquid novi adesse forsitan in Encyclica. Experientia tamen constat recentissime maximas exortas esse disputationes circa genuinum sensum doctrinae illius Encyclicae, quare haud parum tempus requiritur ut clare determinetur quid *iuridice*, quidve *modo pastorali* a Summo Pontifice dicta sint. Ideo, pro nunc, non licet quidquam ex Encyclica deducere in ordinem ad mutationem canonis 1086, § 2.

Rev.mus nonus Consultor dicit Encyclicam *Humanae vitae* non invitare ad enuntiandas inter causas simulationis matrimonii omnes intentiones quae, in actu ipso consensus, essentialiter contradicunt exigentiis fundamentalibus consortii vitae et amoris. Haec omnia novus canon tantum generice enuntiare potest; doctrinae autem munus erit definire elementa essentialia consensus matrimonialis, ita ut habeatur validus si contineat non tantum voluntatem seriam tradendi et acceptandi ius perpetuum et exclusivum ad coniugales actus, sed etiam intentionem generaliorem verum consortium vitae et amoris ineundi.

Rev.mus sextus Consultor examinat casum in quo sponsi, in actu consensus, *in pactum* deducant limitationem prolis, si iustae causae occurrant, iuxta normas paternitatis conscientiae. In hoc casu, per pactum, ipsum ius, non tantum usus iuris restringitur. Omne enim pactum, dummodo sit verum pactum, respicit, ex sese, in quantum pactum est, ius ipsum et non solummodo usum iuris. Iamvero, ex Encyclica *Humanae vitae* deduci posse videtur talem restrictionem iuris matrimonium non irritare. Verum est

quod Encyclica *Humanae vitae* quaestiones matrimonii in facto esse respicit. At, si coniuges, matrimonio iam contracto, voluntatis actum licite ponere possunt quo, praesuppositis seriis causis moralibusque praceptis servatis, statuant de limitatione proliis, vix dubitari potest quin etiam ante matrimonium illam intentionem ponere debeant. Sed intentio licita nihil essentiale e consensu matrimoniali subtrahere potest. Ergo matrimonium, tali intentione contractum, validum est.

Iamvero, si sponsi ante matrimonium licite tale consilium capere possunt, non videtur cur hac de re non etiam verum pactum inter se inire possint, quin hoc modo matrimonium irritum sit.

Ob has rationes Rev.mus sextus Consultor censem ex doctrina de paternitate conscientia, de qua sermo est in Encyclica *Humanae vitae*, deduci posse aliquam restrictionem ipsius iuris in corpus, certis in circumstantiis, licet tam esse et matrimonium non irritare. Si quis querat cur per talem restrictionem iuris matrimonium non irritetur, Rev.mus sextus Consultor respondet quia ius in corpus, quod in contractu matrimoniali traditur et acceptatur, semper concipi debet ut ius petendi humano modo actum coniugale. Humanus autem modus per se et necessario exigit ut etiam rationes conscientiae paternitatis respiciantur.

Sola conditio, et quidem necessaria, sine qua consensus sufficiens non constaret, est ut obiective necessitudines et circumstantiae suadeant limitationem proliis.

Sed per hanc argumentationem Rev.mi sexti Consultoris, iam deuentum est ad IV^{am} quaestionem Consultoribus propositam: *Num, scilicet, post Encyclicam Humanae vitae limitatio iuris in actus coniugales consensum matrimoniale excludere possit.*

Circa hanc quaestionem Ill.mi Consultores primus, tertius, decimus, duodecimus, septimus, quartus, undecimus et octavus dicunt limitationem respicere exercitium iuris, non autem ius ad coniugales actus, ideoque consensum non vitiare per talem limitationem.

Rev.mi quintus, sextus et nonus Consultores censem illam limitationem esse immanentem in ipso iure, quia ius ad actus coniugales non est indiscriminatum et illimitatum. Usus enim matrimonii non est rationabilis nec obligatorius quando numerus filiorum iam susceptorum dissuadet alios filios generare.

Immo Rev.mus quintus Consultor dubitat quin doctrina de paternitate conscientia et de numero filiorum mutuo coniugum consensu determinando ad ius pertineat. Ipse enim censem quod potius talis doctrina pertinet ad mores.

Rev.mus Secretarius animadvertis quod causae quae suadere possunt li-

mitationem prolix proveniunt ab extrinseco et ideo indicunt limitationem exercitii iuris, nisi expresse sponsi in actu consensus limitent ipsum ius.

Rev.mus secundus Consultor concordat cum sententia priorum Consultorum et dicit argumentationem Rev.mi sexti Consultoris claudicare eo quod negligit distinctionem inter ius et usum iuris et ideo Rev.mus sextus Consultor vindicare debet limitationem quae sit immanens in ipso iure.

Rev.mus sextus Consultor respondit se ultro admittere distinctionem inter ius et usum iuris. Si, enim, sponsi tantum propositum faciunt limitandi prolem, talis intentio tangit exercitium iuris. At, si talis intentio in pactum ducatur, tunc ipsum ius restringitur et ideo oportet invenire rationes internas quae sint condicio iuridica qua per se ius in corpus limitatum sit.

Ill.mus octavus Consultor opponit Rev.mo sexto Consultori quod obiectum pacti potest esse tum ius tum solum exercitium iuris et ideo sponsi in pactum ducere possunt tum ius tum solum exercitium iuris.

Rev.mus sextus Consultor censet quod etiamsi sponsi pactum inter se initum consulto ad exercitium iuris restringere vellent, tamen haec restricatio ad solum exercitium iuris revera fieri nequirit, dummodo pactum uti verum et serum pactum habeatur. Per pactum, enim, necessario etiam ius ipsum attingitur et limitatur.

Relator notat quod Consultores, etiamsi discrepant circa notiones iuris, tamen omnes concordant quod consensus non vitiatur per limitationes paternitatem conscientiam consequentes.

Adunatio VI^a
die 17 aprilis 1969 – mane

Quaestio V^a: *Num exclusio iuris ad cohabitationem consensum matrimonialem destruat.*

Rev.mus quintus Consultor qui hanc quaestionem proposuit, notat cohabitationem in casu considerandam esse veluti circumstantiam per quam exprimitur consortium et communio vitae et ideo pertinere ad ipsam substantiam matrimonii. Quapropter si quis excludit ius ad cohabitationem, consensum destruit.

Omnes Consultores concordant quod, si cohabitatio accipiatur ad mentem Rev.mi quinti Consultois, certo ad substantiam matrimonii pertinet et ideo exclusio iuris ad cohabitationem consensum matrimonialem destruit.

At si sermo sit de verbo in canone introducendo, nullus Consultor vult exclusionem iuris ad cohabitandum inter reservationes, quae matrimonii nullitatem secumferunt, recensere. Periculum enim est ne ius ad merum factum cohabitationis videatur tamquam novum caput nullitatis, quod es- set iuris ecclesiastici, cum dubium sit num factum cohabitationis ad ius naturae pertineat.

Potius aliqui Consultores proponunt ut loco «*excludat ius ad cohabitationem*» dicatur:

- vel «*excludat omne ius ad vitae communitatem*» (Rev.mus sextus Consultor);
- vel «*excludat matrimonium ipsum seu consortium*» (Exc.mus tertius Consultor).

Deinde Exc.mus tertius Consultor proponit ut in canone 1086, § 2 supprimatur verbum «*omne*».

Post aliquam discussionem Rev.mus Secretarius proponit ut constituantur parvus Coetus Consultorum, cuius membra per suffragia secreta seligantur, qui ad novam redactionem can. 1086, § 2 procedat.

Suffragatione habita, sequentes Consultores in parvo Coetu cooptantur: Exc.mus tertius Consultor, Rev.mi sextus, nonus, et duodecimus Consultores et Rev.mus Relator.

Deinde sequentes suffragationes habentur ut pateat mens Consultorum, de qua, in parvo Coetu, ratio habeatur ad novum canonem redigendum:

1. Placeatne ut ponatur in canone «...*excludat omne ius ad cohabitationem*».

Non placet n. 9; abstinenter a sententia ferenda n. 2.

2. Num placeat ut ponatur in canone «...*excludat matrimonium ipsum seu consortium vitae coniugalis*».

Placet n. 6; non placet n. 5.

3. Num placet ut ponatur in canone «...*excludat matrimonium ipsum aut omne ius ad vitae communitatem...*».

Placet n. 5; non placet n. 4; Placet iuxta modum n. 2.

Modus: dicatur «...*ius ad vitae et amoris communitatem*»

Placet n. 1: non placet n. 10.

4. Placeatne supprimere verbum « *omne* »

Placet n. 6; non placet n. 3; abstinent a sententia ferenda n. 2.

Rev.mus Relator proponere vellet suppressionem verborum: « *positivo voluntatis actu* », quae, suo iudicio, sunt superflua.

Sed Rev.mus Secretarius asserit illa verba esse necessaria ad excludendos casus voluntatis interpretativaes.

His dictis, committritur parvo Coetui ut nova formula can. 1086, § 2 redigatur, quae in sequentibus adunationibus examinari possit.

Deinde Consultores incipiunt examen canonum de matrimonio per procuratorem et per interpretrem.

Rev.mus Secretarius proponit ut habeatur discussio generalis cann. 1088-1091, ita ut postea alicui Consultori committi possit munus novae ordinationis horum canonum.

Propositio omnibus placet ideoque sequentes quaestiones examinantur.

1. Questiones quae attinent ad can. 1088 CIC.

a. *Num matrimonium per procuratorem in novo Codice retinendum sit.*

Consultores duodecimus, undecimus, et sextus proponunt ut possilitas contrahendi matrimonium per procuratorem auferatur, quia hic modus contrahendi naturae personali matrimonii parum consentaneus est et a permultis Codicibus civilibus ignoratur (Rev.mi duodecimus et sextus Consultores).

Praeterea, conditiones nostrorum temporum circa media communicaciones et portationis tales sunt ut sponsi facile iter facere possint ut praesentes sint ad contrahendum (Rev.mus undecimus Consultor).

Si Consultores volunt tale institutum sustinere, saltem auferatur a lege generali et iuri particulari remittatur (Rev.mus undecimus Consultor).

Alii Consultores vero volunt institutum contrahendi matrimonium per procuratorem in novo Codice retinere quia tale institutum saltem pro pauperibus utile et aliquando necessarium est. Ad summum aliqui Consultores (Rev.mi quartus, secundus, septimus, et nonus Consultores) concedunt ut imponantur aliquae conditiones sine quibus matrimonium per procuratorem contrahi nequeat.

Rev.mus Secretarius animadvertisit quod novus « Ordo celebrandi matrimonium » a « Consilio ad exsequendam Constitutionem de Sacra Liturgia » apparatus, et die 19 martii 1969 auctoritate Summi Pontificis promulgatus, non videtur bene applicari posse ad matrimonium per procuratorem. Videant ergo Consultores utrum de hac circumstantia ratio quoque haben-

da sit in determinanda opportunitate servandi necne institutum matrimonii per procuratorem.

Suffragatur placeatne retinere institutum matrimonii per procuratorem: Placet n. 7; non placet n. 4.

Deinde suffragatur an legislatio de matrimonio per procuratorem contrahendo relinquenda sit iuri particulari: Placet n. 3; non placet n. 8.

Adunatio VII^a
die 17 aprilis 1969 – vespere

Consultores prosequuntur quaestiones de matrimonio per procuratorem (can. 1088 CIC).

b. *Num normae de matrimonio per procuratorem ad catholicos tantum restringendae sint.*

Rev.mus nonus Consultor censet menti oecumenicae contrarium esse ut praescriptio can. 1088, par. 1 etiam ad validitatem matrimoniorum acatholicorum extendatur (cf. Resp. S. Officii diei 30 iunii 1949, *AAS* 41 [1949], p. 427). Ideoque proponit ut initio can. 1081 par. 1 dicatur: «*Ad matrimonium catholicorum valide contrahendum etc...*»

Rev.mus quintus Consultor proponit ut post canones de matrimonio per procuratorem dicatur: «*His normis non tenentur acatholici.*»

Propositio Rev.mi quinti Consultoris omnibus placet.

c. *Utrum norma can. 1088, § 1 transferenda sit ad caput de forma matrimonii necne.*

Rev.mus quintus Consultor censet talem normam potius ad formam matrimonii pertinere, quam ad caput de consensu matrimoniali. Nam normae de consensu considerant qualitates intentionis contrahentium uti singulorum, abstractione facta a circumstantia praesentiae simultaneae contrahentium. E contra haec circumstantia aptiorem locum habet praescriptum in capite de forma servanda in celebratione. Ideo proponit ut melius can. 1088, par. 1 ponatur in can. 1095, par. 1.

Suffragatur num placeat propositio Rev.mi quinti Consultoris: Placet n. 1; non placet n. 11.

e. *Rev.mus quintus Consultor proponit ut in can. 1088, § 1 addantur verba «una simul» («...ut contrahentes sint praesentes una simul sive per se ipsi etc.»).*

Suffragatur haec propositio: Placet n. 9; non placet n. 2; abstinet a sententia ferenda n. 1.

f. *Num verba can. 1088, § 2 exprimenda sint forma positiva.*

Exc.mus decimus Consultor proponit ut verba can. 1088, § 2 exprimantur forma positiva his verbis: «*Sponsi consensum matrimonialem verbis exprimant, si vero loqui non possint, signis aequipollentibus*».

Propositio Exc.mus decimi Consultoris omnibus placet.

Adunatio VIII^a
die 18 aprilis 1969 – mane

2. Quaestiones quae attinent ad can. 1089 CIC:

a. Rev.mus sextus Consultor proponit suppressionem verborum «*firmis dioecesanis statutis desuper additis*». Aliquis enim interpretari posset obseruantiam illorum statutorum ad validitatem requiri.

Suffragatur an placeat supprimere illa verba: Placet n. 8; non placet n. 4.

b. Rev.mus quintus Consultor proponit ut mandatum fieri debeat coram notario vel civili vel ecclesiastico.

Propositio nemini placet.

c. Exc.mus decimus Consultor et Rev.mus quintus Consultor propo-
nunt ut dicatur «*Si mandans scribere nesciat vel nequeat, id in ipso mandato
adnotetur etc...».*

Suffragatur placeatne addere verba «*vel nequeat*»: Placet n. 11; non placet n. 1.

d. Exc.mus decimus Consultor vellet formulam § 2 ita mutare: «*Si ve-
ro mandans scribere non calleat vel nequeat, de quo in ipso mandato mentio
facienda est, illud ad valorem mandati a tertio quoque teste subscribi debet*».

Omnes alii Consultores autem praferunt textum prouti est in Codice.

e. Exc.mus decimus Consultor proponit ut can. 1089, § 3 sit canon distinctus 1089 bis vel ter.

Placet n. 4; non placet n. 7; abstinet a sententia ferenda n. 1.

f. Omnes Consultores, proponente Exc.mo decimo Consultore, vo-
lunt ut norma § 4 inseratur in § 1.

g. Rev.mus nonus Consultor proponit ut alia paragraphus addatur his
verbis:

«*Filii familiae minores sine licentia parentum aut eorum qui locum legiti-
me tenent, matrimonium per procuratorem valide inire non possunt*».

Propositio non placet quia iam in can. 1034 habentur cautions de matrimoniis minorum.

Rev.mus septimus Consultor tamen dicit propositionem Rev.mi noni Consultoris aliquam considerationem mereri et proponit ut § 1 corrigatur ita ut appareat quod si mandans minor sit, non succurrat ei possibilitas alternativa subscriptionis mandati ex parte «duorum testium», nisi tales testes delegati sint ab Ordinario vel a parocho.

Suffragatur propositio Rev.mi septimi Consultoris: Placet n. 5; non placet n. 7.

Adunatio IX^a
die 18 aprilis 1969 – vespere

Consultores prosequuntur discussionem circa matrimonium per procuratorem et per interpretem.

Can. 1090

Rev.mus quartus Consultor censem hunc canonem supprimi posse, quia continet normam obviam quod scilicet matrimonium per interpretem contrahi potest.

Sed propositio nemini placet.

Can. 1091

Exc.mus decimus Consultor et Rev.mus undecimus Consultor proponunt ut supprimantur ultima verba «*habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia*».

E contra Exc.mus tertius Consultor proponit ut talis licentia sit «*scripto data in singulis casibus*».

Habentur aliquae suffragationes ad quaestiones solvendas.

- Num requiratur licentia Ordinarii ad matrimonium per procuratorem: Placet n. 12; non placet n. 1.
 N.B. Mens Consultorum est talem licentiam requiri ad liceitatem tantum.
- Num licentia Ordinarii danda sit «*scripto et in singulis casibus*»: Placet n. 3; non placet n. 10.
 – Placeatne formula Codicis: «*...habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia*»:
 Placet n. 9; non placet n. 4.
 – Num requiratur «*iusta causa*» ad matrimonium per procuratorem faciendum:
 Placet n. 10; non placet n. 3.

– Num de matrimonio per interpretem redigendus sit unicus canon distinctus a canonibus qui agunt de matrimonio per procuratorem.
Omnibus placet.

His disceptatis de matrimonio per procuratorem et per interpretem, committitur Exc.mo decimo Consultore ut novam ordinationem canonum 1088-1091 faciat quae in sequenti adunatione examinari possit.

Deinde Consultores tertius, sextus, octavus, et nonus et Rev.mus Relator praebent aliis Consultoribus textum can. 1086, § 2, quem paraverunt iuxta mandatum ipsis in adunatione VI^a commissum:

«At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum aut ius ad vitae communionem, aut ius ad coniugalem actum, vel essentiali aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit».

Rev.mus Relator refert Consultores parvi Coetus adhibuisse verba «*ius ad vitae communionem*» tamquam solutionem medium inter eos qui volebant «*consortium vitae*» et eos qui volebant «*communitatem vitae*».

Rev.mus duodecimus Consultor animadvertisit locutionem «*vitae communionem*» multa elementa comprehendere, quae attinent sive ad officia et munia vitae matrimonialis sive ad specificam sphæram affectivam. Oporteret ergo melius determinare obiectum talis vitae communionis.

Exc.mus primus Consultor idem sentit ac Rev.mus duodecimus Consultor et adumbrat pericula insita in locutione «*vitae communionem*» quod attinet ad causas matrimoniales ob exclusum ius ad talem vitae communionem.

Rev.mus quartus Consultor vellet «*communionem coniugalis vitae*» loco «*vitae communionem*».

Ad has animadversiones respondit Rev.mus sextus Consultor:

a. contra Rev.mum duodecimum Consultorem, Rev.mus sextus Consultor concedit locutionem «*vitae communionem*» esse nimis latam, et Consultores parvi Coetus hanc difficultatem persenserunt. Tamen ipsi Consultores censuerunt talem latitudinem sufficienter restringi per verbum *ius ad vitae communionem*.

b. contra Exc.mum primum Consultorem, Rev.mus sextus Consultor negat adesse grave periculum multiplicandi causas nullitatis matrimonii. Certo causae plus erunt quam in praeterito quia iam novum caput nullitatis introductum est, at ad accusandum matrimonium non potest invocari parentia actualis communionis vitae sed exclusio iuris ad vitae communionem in actu consensus, quod quidem non facile probari potest.

c. contra Rev.mum quartum Consultorem Rev.mus sextus Consultor dicit locutionem «*communio vitae coniugalis*» intelligi posse de communione vitae sexualis, quod non respondit menti nostri Coetus.

His dictis, fit suffragatio num placeat nova formula can. 1086, § 2:

Placet n. 7; non placet n. 4; abstinet a sententia ferenda n. 1.

Exc.mus primus Consultor et Rev.mi quartus et duodecimus Consultores, qui suffragium negativum dederunt, notant formulam non placere tantum quoad verba «*ius ad vitae communionem*».

Adunatio X^a
die 19 aprilis 1969 – mane

Exc.mus decimus Consultor praebet Consultoribus novam redactionem canonum de matrimonio per procuratorem et per interpretem:

Can. 1088

§ 1. Ad matrimonium valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes una simul sive per se ipse sive per procuratorem.

§ 2. Sponsi consensum matrimonialem verbis exprimant; si vero loqui non possint, signis aequipollentibus.

Can. 1089

§ 1. Ad matrimonium per procuratorem valide ineundum requiritur:

1° ut adsit mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona;

2° ut procurator ab ipso mandante designetur et munere suo per se ipse fungatur.

§ 2. Ut mandatum valeat, illud subscribi debet a mandante et vel a parocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus.

§ 3. Si mandans scribere nesciat vel nequeat id in ipso mandato adnotetur et aliis testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est.

§ 4. Matrimonio per procuratorem contrahendo parochus ne assistat nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia.

Can. 1090

Si, antequam procurator nomine mandantis contraxerit, hic mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverit.

Can. 1091

Matrimonium per interpretem quoque contrahi potest, si de interpretis fide dubitari nullo modo possit.

Examinantur singuli canones.

Can. 1088: Omnibus placet.

Cann. 1089-1090: Exc.mus primus Consultor proponit ut canon 1090 fiat § 4 canonis 1089 et § 4 canonis 1089 fiat canon 1090. Canones 1089 et 1090 cum emendatione a Exc.mo primo Consultore proposita omnibus placent.

Can. 1091: Rev.mus quintus Consultor proponit suppressionem verbi «*quoque*». Omnibus placet.

Ill.mus octavus Consultor proponit suppressionem verborum «*si de interpretis fide dubitari nullo modo possit*» (non placet).

Rev.mus Secretarius proponit «*....contrahi potest; cui parochus ne assistat, nisi de interpretis fide sibi constet*». Omnibus placet.

Ultimo quaestio fit de eximendis acatholicis a normis de matrimonio per procuratorem et per interpretem.

Rev.mus quintus Consultor proponit hunc canonem novum (*Can. 1091 bis*):

«*Canonibus 1088-1091 acatholici non obligantur quoties inter se contrahunt*».

Exc.mus primus Consultor dicit non esse bonam formulam quae attingat directe acatholicos. Melior esset formula quae diceret his canonibus obligari tantum catholici, quando ambo vel una pars sit catholica.

Post aliquam brevem discussionem omnes Consultores concordant ut haec quaestio solvatur una cum quaestione de exemptione acatholicorum a forma canonica matrimonii.

APPENDIX
SCHEMA CANONUM

Can. 1086, § 2

At si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum aut ius ad vitae communionem, aut ius ad coniugalem actum, vel essentialē aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit.

Can. 1088

§ 1. Ad matrimonium valide contrahendum necesse est ut contrahentes sint praesentes una simul sive per se ipsi sive per procuratorem.

§ 2. Sponsi consensum matrimoniale verbis exprimant; si vero loqui non possint signis aequipollentibus.

Can. 1089

§ 1. Ad matrimonium per procuratorem valide ineundum requiritur:

1° Ut adsit mandatum speciale ad contrahendum cum certa persona;

2° Ut procurator ab ipso mandante designetur et munere suo per se ipse fungatur.

§ 2. Ut mandatum valeat, illud subscribi debet a mandante et vel a parrocho aut Ordinario loci in quo mandatum fit, vel a sacerdote ab alterutro delegato, vel a duobus saltem testibus.

§ 3. Si mandans scribere nesciat vel nequeat id in ipso mandato adnotetur et alius testis addatur qui scripturam ipse quoque subsignet; secus mandatum irritum est.

§ 4. Si, antequam procurator nomine mandantis contraxerit hic mandatum revocaverit aut in amentiam inciderit, invalidum est matrimonium, licet sive procurator sive alia pars contrahens haec ignoraverit.

Can. 1090

Matrimonio per procuratorem contrahendo parochus ne assistat nisi adsit iusta causa et de authenticitate mandati dubitari nullo modo liceat, habita, si tempus suppetat, Ordinarii licentia.

Can. 1090

Matrimonium per interpretem contrahi potest; cui parochus ne assistat nisi de interpretis fide sibi constet.